

in circumitu ejus. Unde puto quod merito etiam salvator noster (quoniam & ipse dicitur lapis de monte excelsus sine manibus, & factus esse mons magnus) sicut rex regum, & pontificum pontifex, potest etiam mons montium appellari. Verum ut etiam tertia expositio habeat locum, ad unamquamque animam sermo dirigitur. Si qui sint capaciores verbi Dei, qui ab Jesu aquam sibi datam biberunt, & facta est in eis fons aquae vivae salientis in vitam aeternam, in his scilicet, in quibus verbum Dei crebris sensibus & copiosis, velut perennibus ebullit fluentibus, in his vitae ac scientiae & doctrinae merito montibus & collibus effectus, dignissime salire verbum Dei dicitur & exilire, factus in eis per affluentiam doctrinae fons aquae vivae salientis in vitam aeternam. Similis est fraternus meus capreae hinnuloque cervorum in montibus Bethel. Caprea & cervus, quod inter munda habeantur animalia, manifeste ex his quae in Deuteronomio scripta sunt, indicatur: est enim hoc modo scriptum: Haec enim sunt animalia quae manducabitis: vitulum & agnum ex pecoribus, & hircum ex capris, cervum, & capream, & bubalum, & tragelaphum, & ibicen, & camelum, & pardum. Sed & quod sanctus cervo comparatur, in multis scripturae divinae locis habetur: ut in psalmo, ubi dicit: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Verumtamen in sermonibus quos ex Deuteronomio assumpsimus, etiam hoc non negligenter considerandum videtur, quam dignum in animalibus mundis enumerandis ordinem tenuerit: ut primo vitulum, secundo agnum, tertio hircum scriberet. In his vero quae secundum eundem Moysen offeruntur ad altare, primo cervum, secundo capream nominat. Et ita post haec, reliqua per ordinem describit animalia. Quorum ratio his quibus abundantior gratia spiritualis in domo scientiae concessa est, per Spiritum sanctum manifesta & evidens fiet. Nobis interim quoniam de cervo & caprea dicere nunc in expositione praesentis versiculi incumbit, conveniens videtur ex scripturis divinis congregare pro viribus quae de his animalibus referuntur, de quibus idem Moyses cum de carnibus loqueretur, quae in omni desiderio animae comederentur, non oblatae ad altare: sicut caprea, inquit, & cervus. Egregium vero quid vicissimus octavus psalmus, ubi de virtutibus & efficaciae vocis Dei per ordinem scribit, de cervo hoc modo dicit: Vox Domini perficiens cervos: id est, perfectos faciens cervos, & revelabit condensa. Sicut enim vox Domini intercidere dicitur flammam ignis, & concutere desertum: ita perficere cervos, ac revelare condensa memoratur. Sed & in Job de cervo ita invenimus referri, ubi Dominus ad Job per turbinem loquens & nubem ait: Aut ergo observasti partus cervorum, aut numerasti menses eorum plenos ad partum: dolores autem eorum solvisti, aut nutriti eorum natos, aut sine doloribus partus eorum emittes? Abrumpunt filii eorum, & multiplicabuntur in natiuitate: exhibent, & non revertentur. His adjungenda sunt etiam illa quae in Proverbiis legitur hoc modo: Cervus amicitiarum, & pullus gratiarum loquitur tibi. Haec interim ad praesens de cervo nobis scripta occurrere poterunt. Quae ob hoc assumpsimus, ut loquamur non in doctrina humanae sapientiae sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes: & ideo invocemus Deum, patrem verbi, quod nobis verbi sui manifestet arcana, sensumque nostrum removeat a doctrina humanae sapientiae, & exaltet atque elevet ad doctrinam spiritus: ut non ea quae sentit carnalis auditus, sed ea quae continet voluntas Spiritus sancti, loquamur. Paulus Apostolus nos docet, quod invisibilia Dei, ex visibilibus intelligantur, & ea quae non videntur, ex eorum quae videntur ratione & similitudine contemplantur: ostendens per hoc quod visibilis hic mundus, de invisibili doceat, & exemplaria quaedam caelestium contineat positio ista terrena: ut ab his quae deorsum, ad ea quae sursum sunt possimus ascendere: atque ex his quae videmus in terris, sentire & intelligere ea quae habentur in caelis. Ad quorum similitudinem quamdam, quod facilius colligi per haec ac sentiri possent diversitates creaturarum quae in terris sunt; similitudinem conditor dedit. Et fortassis sicut hominem Deus ad imaginem & similitudinem suam fecit, ita etiam ceteras creaturas ad alias quasdam caelestes imagines, per similitudinem condidit: & fortasse tantum singula quaeque, quae in terris sunt, habent aliquid imaginis & similitudinis in caelestibus, ut etiam granum sinapis, quod minimum est in omnibus seminibus, habeat aliquid imaginis & similitudinis in caelis. Et hoc quod talis ei

quaedam composita est alternatio naturae: ut cum minimum est in omnibus feminibus, habeat aliquid imaginis & similitudinis in caelis. Et hoc quod talis ei quaedam composita est alternatio naturae: ut cum minimum sit omnium seminum, majus fiat omnibus oleribus: ita ut possint venire aves caeli, & habitare in ramis ejus: similitudinem ferat, non solum alicujus caelestis imaginis, sed ipsius regni caelorum. Sic ergo possibile est, etiam cetera semina quae in terris sunt, ut habeant aliquid in caelestibus similitudinis & rationis. Quod si semina, sine dubio & virgulta: & si virgulta, sine dubio & amantia, vel alitum, vel repentium, & quadrupedum. Sed & illud adhuc potest intelligi, quod sicut granum sinapis non unam similitudinem tenet regni caelorum, & habitationes scilicet avium in ramis suis: sed habet & aliam similitudinem vel imaginem, perfectionis scilicet fidei: ita ut si quis habeat fidem sicut granum sinapis, dicat monti transferre se, & transferet: ita possibile est ut etiam cetera non in uno aliquo, sed in pluribus speciebus & imaginem caelestium ferant. Et cum plures sint, verbi gratia, in grano sinapis virtutes, quae rerum caelestium imagines teneant, ultimus & extremus ejus usus est iste, qui habetur apud homines in ministerio corporali: ita etiam in reliquis vel feminibus, vel virgultis, vel herbarum radicibus, vel etiam in animantibus intelligi potest, ut usum quidem & ministerium hominibus praebeant corporale: habeant autem incorporalium rerum formas & imagines, quibus doceri anima possit & instrui, ad contemplanda etiam ea quae sunt invisibilia & caelestia: & hoc fortassis est quod ille scriptor divinae sapientiae dicit: Ipse enim mihi dedit eorum quae sunt scientiam veram, ut sciam substantiam mundi, & virtutes elementorum, initium & finem & medietatem temporum, vicissitudinem permutationes, & conversiones temporum, anni circulos, & stellarum positiones, naturas animalium, & iras bestiarum, spirituum violentias, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum: sed & quaecumque occulta & manifesta sunt, cognovi. Vide ergo si possumus ex his scripturae sermonibus ea quae discite proposuimus, lucidius evidentiisque colligere. Etenim scriptor iste sapientiae divinae, cum singula quaeque enumerasset ad ultimum dixit: quia occultorum & manifestorum accepit scientiam: ostendens sine dubio quod unumquodque eorum quae in manifesto sunt, referat ad aliquid eorum quae in occulto sunt: id est, singula quaeque visibilia habere aliquid similitudinis, & rationis ad invisibilia. Quia ergo impossibile est homini in carne viventi agnoscere aliquid de occultis & invisibilibus, nisi imaginem aliquam & similitudinem conceperit de visibilibus: ob hoc arbitor quod ille qui omnia in sapientia fecit: ita creavit unamquamque visibilium speciem in terris, ut in his doctrinam & agnitionem rerum invisibilium & caelestium poneret: quo per haec ascenderet mens humana ad spirituales intelligentiam, & rerum causas in caelestibus quaereret, ut postea edoceret per sapientiam Dei etiam ipsa dicere: Quae in occulto sunt, & quae in manifesto, cognovi. Secundum haec quoque agnoscit & substantiam mundi, non solum hanc visibilem corporeamque quae palam est, sed & illam incorpoream invisibilemque quae in occulto est. Agnoscit etiam elementa mundi: non solum visibilia, sed & invisibilia & utrorumque virtutes. Sed & initium quod dicit, & finem, & medietatem temporum: initium aut visibilis quidem mundi, quod ante sex millia non integros annos initium designat Moyses: medietatem quoque secundum temporum rationem finem illum qui speratur cum caelum & terra transibit. Secundum occultorum vero scientiam initium illud, quod intelligit is quem sapientia Dei docuerit, quod nulla possunt tempora, nulla saecula comprehendere. Medietatem vero horum quae nunc sunt; finem vero ea quae futura sunt: id est, perfectionem consummationemque universitatis, quae tamen ex his visibilibus conjici possunt & intelligi. Sed & vicissitudinem permutationes, & temporum conversiones, & anni circulos, ex his quae videntur, refert ad invisibiles rerum incorporalium permutationes ac vicissitudines. Circulos quoque annorum temporalium & praesentium, refert ad antiquiores aliquos ac sempiternos annos, secundum eum qui dicebat: & annos aeternos in mente habui. Sed & stellarum positiones, non dubitavit ab his quae palam videntur, referre ad illa quae in occultis sunt, qui occultorum manifestorumque scientiam meruit, & dicit esse aliquid sanctorum genus quod de Abraham praecipue stirpe descendit, sicut stellas caeli. Sed & resur-

rectionis futurae gloriam, stellas esse secundum occultorum scientiam pronuntiavit, sequens eum qui dixit: Alia gloria solis, & alia gloria stellarum. Stella enim à stella differt in gloria, ita & resurrectio mortuorum. Nisi secundum haec intelligeretur illud quod ait, naturas animalium irasque bestiarum: nunquam dixisset in Evangelium salvator, Dicite vulpi huic. Neque Joannes de quibusdam dixisset: Serpentes, generatio viperarum. Sed neque Propheta diceret de nonnullis quod equi emillarii facti sunt. Et item alius: Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed & ille diligenter agnovit iras bestiarum, qui dicebat: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspides surdae & obturantis aures suas. Haec erit ratio etiam de eo quod ait, spirituum violentias: visibiliter quidem de ventis & flatibus aeris, invisibiliter vero de violentis immundorum spirituum loquens: quos & Paulus ventos doctrinae nominavit. Post haec jam sequitur, ut & cogitationes hominum fiat, corporaliter quidem quae de humano corde procedunt. Invisibiliter autem intelligat eos qui injuncti hominibus malas & pessimas cogitationes, sicut in Evangelio scriptum est: Cum diabolus misisset in cor Judaei Ichariotis ut traderet Dominum. Et ut in Proverbiis dicitur: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne derelinquas: quia sanitas compescit peccata magna. Sed & bonarum cogitationum est aliquid auctor, propter quod & in psalms puto scriptum esse: Beatus homo, cuius est auxilium abs te Domine, ascensionis in corde suo disposuit. Et iterum: Cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquae cogitationum, diem festum agent tibi. Ita igitur cuncta secundum ea quae praefati sumus, ex visibilibus referri possunt ad invisibilia, & a corporalibus ad incorporea, & a manifestis ad occulta, ut ipsa creatura mundi, tali quadam dispensatione condita intelligatur per divinam sapientiam, quae rebus ipsis & exemplis invisibilia nos de visibilibus doceat, & a terrenis nos transferat ad caelestia. Haec autem rationes non solum in creaturis omnibus habentur, sed & scriptura divina tali quadam sapientiae arte conscripta est. Propter quaedam namque occulta & mystica visibiliter populus educitur de Aegypto ista terrena, & iter agit per desertum, ubi serpens erat mordens & scorpium, & sitis ubi non erant aquae, & cetera quae in his gestis referuntur, quae omnia, ut diximus, occultorum quorundam formas & imagines tenent. Et hoc non in scripturis tantum veterum, sed & in gestis Domini & Salvatoris nostri, quae in Evangelis referuntur invenies. Igitur si omnia quae in manifesto sunt, secundum ea quae superius approbavimus, ad aliqua referuntur quae in occulto sunt: consequens sine dubio est, ut cervus iste visibilis vel caprea, quae in Cantico Canticorum scribitur, secundum rationem naturae suae quam corporaliter gerunt, referantur ad aliquas rerum incorporalium causas, ut illis occultis & invisibilibus cervus videatur posse convenire quod dictum est: Vox Domini perficiens cervos. Quae enim perfectio ex voce Domini sit istis visibilibus cervis? Aut quae ad eos doctrina umquam ex Domini voce descendit? Si vero spirituales cervos quaeramus, quorum formam & imaginem tenet illud animal corporale: illos invenias ad summam perfectionis ex voce Domini posse perducere. Sed & quorum cervorum Dominum servare decuerit partus, & velut medendi officia praebentem parturientibus altare convenerit, donec parerent filios tales, qui adversarentur & persequerentur serpentium genus, ut dignum est divina maiestate, debemus advertere quallium cervorum Domini decet servare partus, ne in abortum decendant. Sed & menses eorum numerare plenos ad partum, eorumque labores & dolores custodire, ut generationes eorum non cadant in vanum, sed ut perfecta sit eorum natiuitas: & tandem parturiant, donec formetur Christus in eis. Huiusmodi cervorum pullos Dominus nutrit: eorum duntaxat qui iactant in Domino cogitationem suam ut ipse eos nutriat, & ipse servet dolores partus eorum, cum ex timore Dei in ventre conceperint & parturierint, & spiritum salutis pepererint. Huiusmodi partus dolores ipse Dominus servat & curat. Sed & emittit dolores eorum, ut euntes eant & fiant, portantes semina sua: & sint in doloribus hominum, ac flagellentur cum hominibus: ne forte teneat eos superbia. Illi quoque ipsi cervi abrumpunt, ut ait, natos suos. Quos enim genuerit per Evangelium, abrumpunt eos à vinculis peccatorum, & à laqueis diaboli, ne ultra voluntati eorum teneantur obstricti. Illi etiam multiplicabuntur, & ut ait, non revertentur. Non enim imitabuntur uxorem Lot, non redibunt retrorsum. Sciunt enim, quia qui mittit manum suam ad aratrum, si retrospexerit, aptus non erit regno caelorum: sed semper quae retro sunt, obliviscuntur: & in ea quae ante sunt, se extendunt. Tales enim cervos vox Domini facit esse perfectos. Quae vox Domini, nisi illa quae in lege & in Prophetis habetur: & pervenit usque ad Joannem, qui erat vox clamantis in deserto? Et ipsa enim vox Joannis qui dicebat: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri, perfectos faciebat cervos, ut essent perfecti in eodem sensu & in eadem scientia. Qui enim talis est, merito dicit: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Cervus quoque amicitiarum quis alius videbitur, nisi ille qui peremit serpentem illum qui seduxerat Evam, & eloqui sui flatibus peccati in eam venena diffundens, omnem posteritatis sobolem contagio praevicationis infecerat, & venerat solvere inimicitias in carne sua, quas inter Deum & hominem noxius mediator effecerat. Pullus vero gratiarum potest accipi Spiritus sanctus, à quo sitientes & desiderantes Deum, spirituales gratias & dona caelestia consequuntur. Haec autem omnia à nobis dicta sunt, ut manifestior fieret causa, qua sponsa comparate videtur fratrem suum hinnulo cervorum. Quod si etiam hoc requirendum est; cur non cervo ut in aliis, sed hinnulo cervorum comparatur, Illud advertite, quod cum in forma Dei esset, filius datus est nobis, & puer natus est nobis: cuius potestas super humerum ejus. Ideo ergo hinnulus cervorum, quia parvulus puer natus est. Et forte possunt cervi accipi sancti quique: ut Abraham, Isaac, & Jacob, & David, & Salomon, & omnes ex quorum semine Christus secundum carnem descendit. Quos cervos, vox Domini perfectos facit, & ipsorum est hinnulus iste, qui ex ipsis secundum carnem natus est puer. Movet me etiam illud quod in centesimo tertio psalmo scriptum est, ubi ait: Montes excelsi cervis. Et quidem de cervis jam superius diximus, quod sancti quique accipiuntur: qui ob hoc in hunc mundum venerunt, ut serpentis venena perimerent. Qui autem sint montes excelsi, videamus, quasi qui solis cervis sequestrati videntur: & ad quos nisi cervus sit, aliquis non possit ascendere. Ego puto quod personas Trinitatis montes excelsos appellaverit: ad cuius capacitatem nullus nisi cervus efficiatur, accendit. Sed idem ipsi qui hic montes excelsi pluraliter appellantur, in aliis mons excelsus, singulariter dicitur, sicut Isaias ait: In montem excelsum conscende qui evangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem. Idem namque ipse qui ibi Trinitas propter distinctionem personarum, hic unus Deus intelligitur pro unitate substantiae. Satis sint ista de hinnulo cervorum. Nunc videamus quomodo etiam caprea vel dammula comparetur fraternus. Hoc animal quantum ad Graeca vocabula, nomen à videndo atque clarius prospiciendo sortitum est. Et quis est qui ita videat ut videt Christus? Solus namque est qui videt: id est, agnoscit patrem. Nam & si dicantur hi qui mundo sunt corde, Deum visuri, videbunt ipso sine dubio revelante: quia & caprea habet in natura sua, ut non solum videat ipsa, & percipiat acerrime, sed & aliis visum praebet. Asserunt namque hi, quibus medicinae perita est, inesse huic animali intra viscera humorem quemdam qui caliginem depellat oculorum, & obtusiores quosque visus exacuat. Merito ergo caprea vel dammula Christus comparatur: quia non solum videt ipse patrem, sed & videri ab aliis facit, quorum visus ipse curaverit. Observa autem ne audiens patrem videri, corporeum aliquid sentias, & Deum visibilem putes. Visus quoque Deus videtur, non est corporis, sed mentis & spiritus. Quod etiam ipse Salvator in Evangelio, vocabulo proprio distinguens, dixit: Nemo videt patrem, nisi filius. Denique & his quos facit Deum videre, dat spiritum scientiae, & spiritum sapientiae, ut per ipsum spiritum videant Deum. Et ideo dicebat ad discipulos: Quia qui me videt, videt & patrem. Et utique non ita inepti erimus, ut putemus quod qui secundum corpus eum vidit, viderit etiam patrem: alioqui invenirentur & Scribae & Pharisei & Hypocritae & Pilatus, qui cum flagellis cecidit, & omnis populus qui clamabat: Crucifige, crucifige eum: videntes Jesum secundum carnem, etiam Deum patrem vidisse. Quod utique non solum absurdum videtur esse, sed & impium. Sicut enim cum turbæ eum comprehenderent eum cum discipulis: nullus eorum qui premebant & coarctabant eum, tetigisse dicitur eum: nisi illa sola



